

Ms. 59.3.



SPECIMEN  
PRÆLECTIONUM PUBLICARUM  
ANALYTICO-  
PHILOLOGICO-  
THEOLOGICUM

CONCISUM

In Caput VI. Exodi,  
Docens rationem sacras literas ordinatè, soli-  
dè, ac ad ædificationem in fide tractandi,

QUOD

Sapientia Divina Assistente

PRÆSES

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS,  
S. Theologiæ Doctor, Professor, p. t. Facult. Theologiæ ex  
parte Reform. Decanus

ET

JOH. CHRISTOPHORUS DANIEL HERMANNI,  
S. Literarum Studiosus Alceâ-Palatinus

*Placido & rationali commilitonum Examini J.*

SUBJICIUNT

*Ad diem Maji*

*Anno M DCC XXXII.*

IN AUDITORIO THEOLOGICO.

HEIDELBERGÆ,

Ex Typograph. Elect. Aulic. Acad. per Joh. Christoph. Leonh. Hornung.



*Analysis.*

**R**esponso Numinis ad querelas Mosis consolatoria cum triplici mandato legationis & tergiversatione Mosis; Inseto Catalogo Genealogico ad cognoscendum legatos. Ubi occurrit

**I.** Responso Numinis consolatoria continens

**A.** Liberationem Israelis certò futuram. v. 1.

**B.** Fundamenta, qualia sunt

1. Vis nominum divinatorum, Jehova maximè, jam majoribus probata. v. 2, 3.

2. Fœderalis promissio de terra Canaan danda v. 4.

3. Gratiosa populi pressi gementis exauditio. v. 5.

**II.** Triplex Dei mandatum.

**1.** Ferendum à Mose ad Israëllem, constans promissione plurium beneficiorum. v. 6 - 9.

**a** addito Mosis obsequio. v. 9. p. 1.

**b** irritò tamen effectu. v. 9. p. 2.

**2.** Ferendum ab eodem ad Pharaonem de Israele dimittendo. v. 10, 11. Quod vero exequi tergiversatur. v. 12.

**3.** Idem repetitum Mose juxta & Aaroni commissum. v. 13.

**III.** Quò verò Historia legationis certior esset, inseritur

Catalogus Genealogicus comprehendens

**1.** Capita Rubenitarum & Simeonitarum, ceu quæ primum locum Jure nativitatis inter filios Israel in genealogiis recensendis habuerant.

**2.** Genealogiam Levi, quæ continet

1. tum in genere ejus posteros v. 16 - 20, & 21 - 26.

2. tum in specie Aaronem & Mosen per Amram & Kahath è Levi descendentes. v. 20.

Hî duo verò constituti erant legati Dei v. 26 - 30.

Non tamen sine tergiversatione Mosis v. 30.

*Notæ*

Notæ Philologicæ, Criticæ.

Ad ψ. 1.

**N**Am כִּיד חֹקָה manu forti dimittet illos, & manu forti expellet eos.  
 (a) Sensum significantiorem expressuri rectè וְכִיד quin imò manu forti vertimus: q. d. Pharao dimittet, imò, quod plus est, expellet populum. vide loca 1. Reg. VIII. 27. Zach. XIV. 21. Quomodo וְכִיד in Novo Testamento v. Joh. IV. 23. V. 25.

(b) Implementum habes Exodi XII. Pharao dimiserat, ψ. 31. sed populus רָחֹק urserat. LXX. κατεβιάζοντο ἐμβάλειν. ψ. 33.

Ad ψ. 3.

**E**T visus sum Abrahamo, Isaaco, Jacobo בְּאֵל שַׁדַּי in Deo omnipotente וְשְׁמוֹ יְהוָה לֹא נִדְעָתִי לָהֶם & nomine meo Jehovah non innotui illis. Magni ponderis, sed & magnæ difficultatis versus hic est, uti scire licet ex variis Interpretationibus. Lucem affundam, quantum licet, sequentem in modum.

(a) Illos fidem non mereri, qui hinc opinantur, nomen Jehovah ante hoc tempus ignotum fuisse, ex quibus quoque recentior Autor glossarum, quæ in Bibliis Tübingensibus prostant, est. Quum non solum vox יְהוָה in Genesi reperiat, sed antequam אֵל שַׁדַּי & אֵל Vel vide Gen. II. 4, 5, 7, 8, 9, 15, 16, 18, 19, 21, 22. & longe pluribus vicibus. Objiciunt quidem Mosen Dei & Patrum dicta suis recitasse verbis, ac ita nomen Jehovah sibi notum expressisse. Sed quomodo assertum hoc probant? Posset alius consimiliter fingere, Mosen suis dixisse verbis אֵל שַׁדַּי & אֵל שַׁדַּי. Quin potius, uti ex verbis Gen. XVII. 1. Ego אֵל שַׁדַּי colligo Mosen Dei verba fidè dedisse, sic ex Gen. XV. 7. Dixerat Deus ad (Abramum): Ego יְהוָה qui eduxi te ex Ur Chaldaeorum, idem concludendum ac ex tot aliis locis. Et id tantò magis, quod verba non translata fuerint ex una lingua in aliam

(b) Probandos haud esse, qui נִדְעָתִי h. l. transferunt per indicavi, quasi esset Hiphil נִדְעָתִי, ut veteres plerique habent, quum sit Niphil innotui. V. etiam Pl. LXXXVI. 2, Ef. LXVI. 14.

A 2

Quan-

Quando verò certum est nomen יהוה jam multò ante innotuisse, quaeritur, quomodo hic Moses intelligendus? *Nomine meo יהוה illis אלהי non innotui.* Plebique Judæi & Christiani intelligunt de demonstratione efficacis hujus nominis nondum facta. Ex illis Raschius: *Non cognitus sum illis proprietate veritatis meae, propter quam vocatur nomen meum Jehovah, scil. verax (seu fidelis) ut verum efficiam verbum meum; quoniam ecce promissis iis, sed non praesenti.* Ex his Anonymus: *Sententia verborum est, se Patriarchis abundè quidem sufficientem fuisse, sed promissa jam demum complexisse.* Hæc explicatio magnum robur inde habet, quod Scriptura multoties dicat, Jehovah cognosci, quando vel beneficium vel judicium in effectum deducit v. infra ψ. 7. Es. XLIX. 23, יהוה אלהי יצאנו conf. LII. 6. LX. 16. Ezech. XXVIII. 22, 23, 24, 26. XXX. 19, 25, 26.

Non incommoda quidem est hæc communis explicatio. Attamen præfero Joh. Georgii Dorschei in *Dissert. de Nomine Jehovah* rariorem, quam quoque Gatakerus, Michaelis & S. Schmidius probant. Scil. *Nomine meo Jehovah אלהיannon innotui illis, sc. Abrahamo, Isaac, Jacobo?* Rationes sunt. 1. d. אלהי saepe sumitur pro יהוה Annon. V. Thren. III. 36. 2. Reg. V. 26. Jer. XLIX. 9. Job. XIII. 25. & Nold. in *Concord. Partic.* p. 486. & in hac quoque historia c. VIII. 22. 2. d. Sensus commodus: Israel enim dubitabat de liberatione futura c. V. Deus liberationem antea promissam confirmat c. VI. 1. Argumentum nunc reddit: *Ego Jehovah. ψ. 2, quod deducit ψ. 3. Ego apparui Abrahamo, Isaac, Jacobo אלהי שרי באל in Deo potente, omnissufficiente & nomine meo Jehovah אלהי nonne innotui illis? q. d. Non solum apparui ut אלהי (אל) sed etiam ceu יהוה 3. d. Convenit cum Historia Patriarcharum. v. supra ad Lit. (a) 4. d. Deus revera plures promissiones Patriarchibus datas actu compleverat; scil. Abrahamo benedixerat, dederat ei opes, famam, filium promissionis atque adeo se Jehovah veracem probaverat.*

Objicies: Particulam אלהי communiter negare. Valere autem communem notionem, quam explicatio prior tenet. 2. Valet, nisi quaedam obstant. At hic obstant rationes 3. & 4. modò citata. Obstant dein, quæ sequuntur ψ. 4. וגם *Et etiam stabiliam fœdus meum ad dandum illis terram.* Distinguitur ergo hic traditio terræ Canaan ab efficacia nominis Jehovah: Saltem nequit pro uno eodemque complemento haberi.

Ad

Ad ψ. 6.

וְגַמְלָתִי & vindicabo vos brachio extenso.

(a) גַּמְלָה Vulgato, LXX, aliisque placet notio redimere λογισμῶν. Sed præstat h. l. vindicare rem tanquam suam è potestate alterius. Modus vindicationis verò variat. Aliquando λύτρον, pretio interposito Lev. XXV. 26. Sed & aliquando absque pretio Ef. LII. 3. Solâ potentia & vindictâ adversus injustum detentorem, ut hic. Israel enim erat populus Dei, non Pharaonis. ψ. 7.

(b) Brachio extenso ad indicandum propositum, promittudinem & fervorem Dei, qui militum instar Pharaonem aggressurus sit. Hinc sæpius Scriptura brachium extensum Deo tribuit. Deut. IV. 34. VII. 5, & Act. XIII. 17. μετὰ βραχίονός ὑψήλου, quo alluditur Ezech. XX. 33, 34. Ef. LII. 10.

Ad ψ. 8.

וְיָמִי / extuli manum meam. Rectè Arabs: *juravi*. Jonathan plenius: *juramento promisi per verbum meum*. Confer. Deut. XXXII. 40. Ezech. XX. 28. Ef. LXII. 8. quia scil. homines manu elata jurare solent. v. Abramum Gen. XIV. 22.

Ad ψ. 9.

Non audiverunt Moſen מִקְצֵר דָּבָר. Quid hæc Phrasis vult? Opponitur אָרַךְ אַפַּיִם. Prov. XIV. 29. Causa est miseria Num. XXI. 4. Servitus dura Jud. X. 16. & h. l. Notat hic animum angustum, qui hinc verbis Moſis non credit. Haud malè LXX. ὀλιγοψυχία. Contrarium II. Cor. VI. 11.

Ad ψ. 12.

וְאֵנִי עָרֵל שִׁפְטִים. Ad verbum: *Et ego incircumcisus (sum) labiis*. Vitium labiorum non morale, ut Ef. VI. 5. sed naturale indicatur. Hoc ipsum, quod c. IV. 10. *gravis ore & gravis lingua*. Benè itaque Arabs: *Ego balbus sum lingua, & Syrus: cum balba sit lingua mea*. Inerat linguæ Moſis, quod superfluum & ira causa balbutiei erat.

Ad ψ. 14.

I. רִאשֵׁי אֲבוֹת / capita patrum sive principes, ex quibus alii descendunt, uti corpora ex capitibus. Illustra hinc Novum Testamentum Eph.

I. 22. Deus Christum dedit κεφαλὴν, caput. Eph. IV. 15. 16. ex quo corpus coagmentatur. LXX. transferunt ἀρχηγοί. Illustra porro Hebr. XII. 2. Ἰησους ἀρχηγὸς τῆς πίστεως.

II. Quare h. l. textitur Genealogia? Ad veritatem Historicam legatorum Dei Moſis & Aaronis clarius docendum. Ita enim liquet, unde exorti illi fuerint.

III. Quare præter Genealogiam Levi textitur Genealogia Rubenitarum, Simeonitarum, non verò aliarum tribuum? Probabiliter Genealogia Moſis & Aaronis ex Catalogo Genealogico posterorum Jacobi defumebatur. Quoniam autem poſteri Rubenis & Simeonis ceu fratrum natu maximorum primò legebantur, illi quoque deſcripti erant, Judæ verò reliquorumque poſteri ceu nati poſt Levi non nominabantur. Non enim hic ſcopus erat omnium filiorum Iſrael genealogiam dare.

Ad ψ. 15.

*S*Aul filius uxoris Cananitica. Quare noſatur? Ut ſcias 1. Simeonem Polygamum fuiſſe. 2. Nec optimum, qui cum Cananiticâ Eſavi more conjugium contraxerat. Gen. XXVIII. 1. Inde quoque explica alios malos ejus mores. Gen. XXXIV. 25. 30. hinc fata dura. Gen. XLII. 24.

Ad ψ. 16.

*A*Nni vite Levi erant 137. Cui uſui? Chronologico & Historico. Levi probabiliter ortus erat A. M. 2255. E. Mortuus 2392. ſpatio 41. annorum ante Moſis nativitatem & 121. ante νομολογίαν. Hinc circiter conſtat initium oppreſſionis Ægyptiacæ. Inceperat enim demum deſunctis omnibus filiis Jacobi, Exod. I. 6. At Levi erat μακροβιότατος. E. oppreſſio inceperat poſt A. M. 2392. adeoque circiter annis 121. ante liberationem.

Ad ψ. 18.

*A*Nni Vite Kahath 133. Cui uſui? Non liquet. Non enim ſcimus initium & finem Kahath.

Ad ψ. 20.

I. *A*Nni vite Amram 137. Idem judicandum, quod de vite Kahath. Generatim tamen hinc diſce (a) Longævitatem majorum Moſis. (b) Hinc probabiliter illorum pietatem, (c) Inde favorem Numinis. (d) Alii



(d) Aliquid ramen anni hi faciunt ad explicandum 430. annos, de quibus Exod. XII. 40.

II. *Sumserat Amram Jochebed* ⲙⲓⲣⲁⲙ ⲛⲓⲃⲓ *sibi in uxorem.* Quæ illa? vocatur c. II. 1. *Filia Levi, & quidem.* Num. XXVI. 59. *Filia Levi, quæ nata Levi in Ægypto.* E, erat soror Kahath, qui Pater Amram. Quomodo Oncelos: *Accepit Amram Jochebeth* ⲙⲓⲣⲁⲙ ⲛⲓⲃⲓ ⲛⲟⲩⲓⲥⲟⲣⲉⲙ ⲛⲁⲧⲏⲛ ⲛⲓⲃⲓ *in uxorem.* Etiam ita Jonathan, Raschius, alique Hebræi accipiunt, qui, ut puto, alium voci significatum in honorem gentis dedissent, si licuisset. Sed natiuitati Moïsis consulturi transtulerunt LXX. *Θυγατέρα τῆ ἀδελφῆ τῆ πατρὸς αὐτῆ, filiam fratris patris sui.* Vulg. *patruelem suam.* Schmid. *consobrinam suam.* Bono quidem scopo, sed non bono fundamento. Ad hoc verò in accurata exegeſi, quantum licet, attendendum est. At tale conjugium diserte prohibitum est. Lev. XVIII. 12. 13. Lex hæc tempore Amrami nondum lata erat. Dein Deus plura in populo suo toleravit, non probavit.

Ad ψ. 21.

*Korah, cujus rebellionem vide Num. XVI. 1.*

Ad ψ. 22.

*Filii Uziel, Misael & Elzaphan. De his vide Lev. X. 4.*

Ad ψ. 23.

*Aharon sumserat* ⲙⲓⲣⲁⲙ ⲛⲓⲃⲓ *filiam Aminadab, sororem Nabasson.*

(a) ⲙⲓⲣⲁⲙ notat *Deus meus saturatio* (est) Fidem Aminadabi nomen filii clarè docet. Confer. Pl. XLII. 3. LXXIII. 25. 26.

(b) LXX, vertunt: ⲙⲓⲣⲁⲙⲓⲃⲓ. Illustra hinc Luc. I. 5.

(c) Erat ex tribu Juda. Licita ergo erant conjugia personarum ex diversis tribubus, maximè hoc tempore.

(d) *Nabasson*, qui celebris ceu caput tribus Judæ Num. II. 1. ex majoribus Messiaæ Matth. I. 4. Luc. III. 32. 33. Aaronitæ ergò ex sanguine Judæ tribus Regiæ & Messiaæ quoque descenderunt.

(e) Quia frater uxoris Aaron memoratur, arguè Rabbini observant: *אשה הנשאה צריך לבחוק כחתום*: *Qui uxorem ducere vult, is inquirere debet in fratrem ejus, ut Raschius habet ad hunc locum.*

Ad

Ad ψ. 25.

Eleasar filius Aharon sibi sumxit ( uxorem ) ex filiabus Putiel.

(a) Uxor Eleasaris verè ex נשים uxoribus ab oblivione dictis, cuius nomen laetè, erat.

(b) Pater Putiel probabiliter peregrinus fuit. Num Profelytus Aegyptius, uti *Ligtfootus in spicilegiis ad Exodum* coniectat; An verò ex femine Jethro, quemadmodum Raschius ( qui Jonathanem consentientem habet ) vult, non liquet.

Ad ψ. 26.

I. Iste Aaron & Moses. Praëponitur hic Aaron Mofi ( quem tamen ordinem Syrus non servat ) ceu natu major in Catalogo Genealogico notatus ψ. 20. Sed secundum Raschium, ut scias fratres שקולין כאחד ejusdem ponderis, hoc est, dignitatis fuisse.

II. Educite filios Israel ex Aegypto על צבאם.

(a) Super exercitus eorum, hoc est, secundum exercitus eorum: Particula על etiam secundum notat. v. Num. I. 52. maxime Pl. CX. 4. על secundum ordinem Melchisedeck. Unde in Novo Testamento vertitur αὐτῶν Hebr. v. 6.

(b) Mandatur Israelis egressus non confusus, sed exercitûs instar benè ordinatus.

(c) Indicatur quoque filiorum Israel multitudo. Conf. Exod. XII.

41. Egressi sunt omnes exercitus Jehovæ ex Aegypto.

Ad ψ. 28.

וַיְהִי כִּימֵ דִבְרֵי יְהוָה Ellipsis satis frequens supplenda per מִשְׁרַי seilicet. Et factum in die, ( מִשְׁרַי / quâ ) locutus est, uti rectè Vulgatus & alii V. supra. c. IV. 13.

## Observationes Theologicæ

IN

### Caput memoratum.

Æ Dificaturi nos in fide respicimus.

I. Ad Deum, & consideramus

(a) Ex

(a) Ex *ψ. 1. Sec.* *Miram ejus clementiam & propensionem erigendi ser-  
vos, qui δαιμόνιοι querelas in sinum ejus effundant.* c. V. 22. 23. Reges  
mundani servos conquerentes subinde vix audiunt, quin aliquando gra-  
viter in illos irascuntur. At verè magnus Rex Deus & patienter audit  
querelas, & consolatur servos, etiam *ἀπειθῶς impertinè* querentes & tan-  
tum non facta sua auxilio futuro excusat! O Majestas clemens & humilis!

(b) Ex *cod. V. Euxaigeon Soc. Genav. ΠΥ ΝΥΝΘ* videbis, *que facturus*  
N. Hebr. IV. 16. Posset quidem Omnipotens Deus omnem hostium op-  
pressionem opprimere, vel primo momento reprimere, sed cuncta facit  
*ἐπιμαλγῶς*. Hac quippe ratione gloriam virtutum suarum, uti divitiarum  
tolerantiæ, bonitatis, justitiæ, omnipotentiae tandem ad utilitatem &  
gaudium populi sui ac sanctam confusionem hostium clarius manifestat.

(c) Ex *ψ. 6. Brachium Numinis extensum* sive gloriosam omnipotentia  
sue *ἰσχυρίων*. Improbi, Tyranni Deum vel absque brachio, vel levis bra-  
chii fingunt, extollunt verò & formidabile brachium seculare jaçant.  
Tu verò, qui nunc premeris, Deum, penes quem solum robur est, ita  
asperrari noli. Manus habet prælongas & ferreas. *Terribile est in ma-  
nus Dei vivi incidere.* Aliquando quidem eas in sinu quasi abscondit, sed  
extender *ἐπιμαλγῶς*, pressos gloriosè vindicabit, opprimentes terribiliter  
percutiet.

(d) Ex *ψ. 6. 7. En plura, concatenata, veram fidelium felicitatem absolven-  
tia Dei beneficia.* Nam gementes sub onere & educit & liberat & vindicat &  
assumit in peculium suum, estque ita illorum Deus. Singuli Judæi quatuor  
hæc beneficia quovis anno cœnam Paschalem agentes quatuor poculo-  
rum haustu honorare dicuntur, ut quidam existimant. v. *Lightsfootum in*  
*Matth. XXVI.* Nos, qui Christiani, quibus maxima beneficia offerun-  
tur, annon *כוס ישועות* *calicem salutem* fideles grates dicturi extollemus?  
Pl. CXVI. 13.

(e) Ex *ψ. 1. 13. Deus, qui absoluto imperio cuncta mandare possit,*  
solet, saltem aliquando, variis argumentis, promissione beneficiorum fidem,  
obsequium servorum & populi sui quarere, rogare, nec semel, sed instanter.  
Nec olim tantum, sed & hodie. Memores igitur sumus admirandæ *φι-  
λάνθρωπιᾶς* & viarum Dei circa nos. Extollamus Divinam hanc humani-  
tatem, non verò eâ abutamur

## II. Ad Israellem.

(a) Ex v. 9. Fidei ejusque incremento, dilatationi, robori, gaudio quam maxime obstat terminum auxilii Divini sibi figere, mala externa, visibilia oculis carnis metuere. Confer, c. III. 19. f. Ex. V. 3. 4. 5.

(b) At fidem conservat, auget, corroborat vim nominum divinarum (uti אלה / אלהים / יהוה ) cogitare, fœderis divini recordari, promissionum jussiter meminisse. v. 3. Qui enim Deum menti sistit potentem, omnisufficientem, sanctè promittentem, fidum, veracem, reperiet penes se tum scutum adversus tela ἀπιστίας, tum calcar & motiva vivæ spei & fidei.

(c) Ex v. 3. Est & aliud fidei præclarum medium vias Dei circa pios Majores pendere, protectionem, beneficia, pollicitationes ejus mente volvere ac firmiter concludere. Qui se Abramo ac aliis majoribus ceu אברהם אלהים & יהוה probavit, me vestigia eorum calcantem non deseret. Qui Majorum Deus, idem seminis est. אלהים. Innuit in Judæa Deus, & in Israele magnum nomen ejus est. Ps. LXXVI. 2.

(d) Ex v. 7. Correlata sunt hæc duo: Ero vobis Deus: vos verò populus meus. Sigitur Jehovah Deum tuum experiri vis, vive ut populus ejus.

## III. Ad Moſen.

Quum permultum interfit de ἀπιστία Moſis animum tenere convictum, providum Numen attendentibus plura eaque notabilia ejus ἀγινῶντα conferibi curavit. Qualia hic sunt:

- α. Ipse Moſes navos suos quavis occasione recenset, ut tergiversationes ad jussum Dei. v. 12, 30.
- β. Recenset quoque Patris sui conjugium legibus divinis contrarium v. 20.
- γ. Prolixus est in fratris posteritate recensenda, propriam silentio præterit. v. 23, 25.
- δ. Quanquam fratre Aarone major fuerit, imò ex voluntate Divina ejus אלהים Deus, solet tamen aliquando sibi fratrem præponere. v. 26.

## IV. Ad Catalogum General' gicum.

(a) Studium Genealogicum in Sacris malè quidem audit 1. Tim. I. 4: Tit. III 9. Sed tum, si illud nimium, occupatum circa insolubilia, ac ab ædificatione in fide nos abstrahit.

(b) Si

(b) Si verò aliter se haber, ac Sacris illustrandis inservit, quis rejiciet?  
Disce ex hoc Catalogo.

(1) *Argumentum veritatis Historia liberationis populi Israel ex Aegypto.*  
Docet enim legatorum Mosis & Aaron Majores, posteros, consanguineos,

(2) *Parentes & liberos, fratres secundum carnem, consanguineos quam sapissimè contrariorum Spirituum esse.* Illos Spiritu Dei, hos mundi agi, duci, vivere. En Mosen, Aaronem, Eleasar, Pinehas. En quoque Nadab, Abihu igne divino consumptos, Korah seditiosum, ab aperta terra absorptum.

Disce ergo hinc aliud quoque principium, quam carnalis natiuitatis, dari. Pios parentes, consanguineos non certò habere pios liberos & qui eodem Spiritu incedunt. Noli itaque in carne gloriari. *Natiuitatem ex Spiritu Dei ritè quere.*

(3) *Studium Genealogicum rectè formatum ad modestiam & humilitatem ducere.* Simeonitæ in hoc catalogo Patrem reperiunt Polygamum Cananiticæ uxoris. Aaronitæ Patrem, qui Patris sui sororem uxorem duxit &c. v. quoque similia in Marth. I. Luc. III.

(4) *Peterum fidem & mores aliquatenus disci ex nominibus liberis impositis.* Exempla sint clariora. *Uziel*, hoc est, *robur meum Deus*. v. 18. *Eleasar Deus auxilium* v. 25. *Elishebas sive Deus meus Saturatio* v. 23. *Elcanna*, quod est *Deus Zelotes* v. 24. Qualem Pater Korah expertus erat. Num. XVI. *Elzaphan, Deus abscondens se* v. 22. *Simei*, hoc est *audi me*. v. 17. Quædam respiciunt historiam factorum, ut *Gerson* v. 16. Filius Levi in terra peregrina, scil. Aegypto, natus. מן מן extrahans, quem filia Pharaonis ex aqua extraxerat. Hæc speciminis loco. Ex solis nominibus integrum fidei & morum, qui in Majoribus erant. systema facillè formari possit.

(c) *Longævitæ Levi, Kahath, Amram* cen nota favoris divini erga pios legatorum Majores bene notatur, quum vita brevis posterorum ex hac tribu cen signum itæ observetur. I. Sam. II. 32. *Non erit senex in domo tua omnibus diebus.*

F I N I S.

Corolla.

Corollaria.

NE desit disputandi materia, sequentes subjiuntur controversæ positiones ex his ipsis prælectionibus in Exodum desumptæ

1. Anima, quæ ex femore Jacobi egressa erant venerantque in Ægyptum, numerantur. 66 Gen. XLVI. 26. sed Exod. I. v. 5. 70. Ath. VII. 14. verò 75. Apparentem contradictionem sequentem in modum tolle: Adde calculo Gen. XLVI. 26. Jacobum, Josephum cum duobus filiis, & habebis numerum in loco Exodi citato. Superadde his Machir, Galaad, Satalaam, Laam & Edom Josephi posteros, quorum LXX. mentionem faciunt Gen. XLVI. 20. & habebis calculum Stephani.

2. Exod. II. 18. Cumque venissent ad Reguel רְגוּעַל Patrem suum, verte ad avum suum, Patri nomen erat Jethro, sed avi Reguel.

3. Verba Exod. III. 15. אֲנִי אֲדֹנָי commode & significanter transferuntur: Ero, profecto ero.

4. Baculus Moysi מִסֵּבֶל in Serpentem Exod. IV. 3. at Aharonis לְרִמְיָן in draconem C. VII. 10. conversus erat. Qui idem intelligunt animal, sufficientes rationes non producant.

5. Incantatores anonymi Exod. VII. 11. à Paulo nominantur Jannes & Jambres II. Tim. III. 8. Nomina hæc Apostolus ex Hebræis probabiliter desumpsit.

6. Etiam virgæ incantatorum in dracones verè conversæ erant Exod. VII. 12.

7. Si Aharon omnes Ægypti aquas in sanguinem mutaverat, quomodo dici potest, quod etiam incantatores aquam in sanguinem converterint Exod. VII. 19 - 23. Incantatores aquam substantancam sanguinem fecerant.

8. צַרְרָעֵי Neque crocodilum, neque bufones, sed ranas notat.

9. Licet concedamus, Nilum ranis abundasse, plaga nihilominus miraculosa erat ranarum immissio.

10. Israelitæ à plaga sanguinis & ranarum liberi haud erant.

11. Commata difficilia in Exod. IX. 15. & 16. ita transferi: Nam jam manum meam extendi אֲנִי & percutere potuissim te & populum tuum peste. (vid. supra p. 6.) & excisus fuisses ex terra. Sed propter hoc feci te stare (sive superesse) ut demonstrarem in te (vel tibi) potentiam meam, & ut enatetur nomen meum in tota terra. Hac versione effugis incommoda, in qua alii translatores incurrunt.

12. Qui אֲפִרְיֹתָ Exod. IX. 32. per latentia sub terra vertunt, peccant contra naturam terræ & messis Ægypticæ. Vulgò & rectè transferuntur Scrotina.

Fd 2087

ULB Halle  
004 222 318

3




sb.

40









SPECIMEN  
PRÆLECTIONUM PUBLICARUM  
ANALYTICO-  
PHILOLOGICO-  
THEOLOGICUM

CONCISUM

In Caput VI. Exodi,  
Docens rationem sacras literas ordinatè, soli-  
dè, ac ad ædificationem in fide tractandi,

QUOD

Sapientia Divina Assistente

PRÆSES

JOH. HENRICUS HOTTINGERUS,  
S. Theologiæ Doctor, Professor, p. t. Facult. Theologiæ ex  
parte Reform. Decanus

ET

JOH. CHRISTOPHORUS DANIEL HERMANNI,  
S. Literarum Studiosus Alzeâ-Palatinus

*Placido & rationali commilitonum Examine J.*

SUBJICIUNT

*Ad diem Maji Anno M DCC XXXII.*

IN AUDITORIO THEOLOGICO.

HEIDELBERGÆ,

Ex Typograph. Elect. Aulic. Acad. per Joh. Christoph. Leonh. Hornung.